



Praxis Avrea Qvotidianarvm Rervm Ecclesiastici Fori

In qua Variæ Iuridicæ Resolutiones ex approbatis traditionibus Doctorum,
atque diuersorum Tribunalium, præsertim Rotæ Romanæ, Decisionibus,
excerptæ, continentur; Opvs Qvatvor Partibvs Distinctvm

Continens Tertiam, & Quartam Partem: Quibus, hac nostra editione ab
innumeris mendis repurgata ...

Riccio, Giovanni Luigi

Venetiis, M.DC.LXXIV.

Praxis Bonorvm Patrimonialium.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98599](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98599)

Huiusmodi autem restitutionem esse faciendam Monasterio, in quo degit Religiosus, à quo res accepta fuit, seu alteri loco, de cuius bonis res donata fuit expresse sancitur per Bullam in illis verbis. *Hanc autem restitutionem fieri volumus, non priuatim, & Religioso, qui donauit, sed ei Monasterio, domui, vel alteri loco, de cuius bonis facta est largitio, vel si non de eius bonis donatum est, in quo idem Religiosus donans professionem emisit, vel in nomine totius Capituli, Conuentus, aut Congregationis, vel vniuersi Ordinis, seu Religionis donatio facta extiterit, pariter communi mensae, aut massae, cuius nomine donatum fuerit accepta munera restituantur; ita vt nec qui donauit, nec Conuentus, Capitulum, Congregatio, Ordo, aut Religio, cui restitutio facienda est, illam remittere, & iterum ei donare, aut recipientem ab obligatione restituendi eximere, vel vt in pauperes eroget concedere quoquo modo possit.*

RESOLVT. LXXXVII.

- 1 Superiores possunt concedere licentiam donandi valorem decem ducatorum.
- 2 Quantitas donandi remittitur arbitrio Superioris.
- 3 Iudicis arbitrium quando subintrat.

Quanti valoris debeant esse munera, ne sint contra Bullam Clem. VIII.

- 1 Non defuerunt Doctores affirmantes prelatos regulares posse sibi, & suis concedere licentiam donandi vsq; ad quantitatem decem ducatorum pro causa rationabili puta pro cognatorum nuptijs, pro pauperibus, & similibus causis, ita Cordub. in summa quaest. 54. Lopez part. 1. institut. cas. conscient. cap. 152. Fagundez de precept. lib. 8. tractat. 2. cap. 6. num. 12.
- 2 Verum ego tutius censerem, quod dum in hac Bulla non sit determinata quantitas, debeat id remitti arbitrio Superioris, qui ruminatis conditionibus Religiosi donare volentis, & eius, cui fiat munusculum, & cognita causa, ob quam donatio impartitur, & considerata facultate Monasterij, poterit maiorem, vel minorem facultatem dare in quantitate, & qualitate, Suarez de Relig. tom. 3. lib. 8. cap. 15. num. 13. Azor, institut. moral. part. 1. lib. 12. cap. 12. tit. 4. Sanchez in summa tom. 7. cap. 19. n. 42.
- 3 Vbi enim aliquid in statuto, & lege non est determinatum Iudicis arbitrium versari debet, vt percipitur ex Nouario in suo nouo tract. de elect. & variat. fori quaest. 21. sect. 2. in vltima impressione num. 11. vbi quod tunc succedit arbitrio Iudicis, quando à lege, vel consuetudine, aut statuto certam sanctionem, & declarationem non habemus, affirmans ibidem num. 3. arbitrium regulandum esse iuxta qualitatem personarum.

PRAXIS BONORVM
Patrimonialium.

RESOLVT. LXXXVIII.

- 1 Pater cogitur ad praestandum patrimonium filio ordinando, vel vxorem ducere.
- 2 Argumentum de matrimonio carnali ad spirituale valet.
- 3 Pater diues cogitur subministrare necessaria filio vacare studio, vel intrare volenti Religionem, num. 5.
- 4 Titulus patrimonij quid contineat.
- 5 Patrimonium à patre filio est iterum praestandum, vbi datum perdidit.

Bona patrimonialia semel assignata filio Clerico, an sint iterum danda si prius habita amisit.

Practicatum est quandoq; quod si filius velit promoueri ad sacros Ordines, & pater sit renitens ad constituendum ei patrimonium, tunc potest filius illum cogere iuris remedijs, vt illud assignet, vt in proprijs terminis probarunt Auendan. conf. 17. num. 4. Sanchez de matrim. disputat. 26. sub num. 7. lib. 4. Geneuen. in practicabili Eccles. quaest. 624. quem nouissimè refert, & sequitur Nouarius forens. quaest. 37. lib. 1. num. 1. vbi etiam adducit Crauet. conf. 139. lib. 1.

Qua opinio confirmatur ex eo, quia argumentare licet à patrimonio carnali ad spirituale per cap. inter corporalia de translat. praelat. leg. sancimus, C. de sacros. Eccles. cum alijs adductis per eundem Nouarium forens. quaest. 69. num. 13. lib. 1. sed cum vxorem ducere intendit illum potest cogere, vt sibi constituat donationem propter nuptias in dotis recompensam l. final. C. de dotis promiss. de Benedict. in cap. Raynuntius verbo dotem, quam ei dederat, ergo similiter poterit cogi, vt donationem faciat filio pro Ordinibus suscipiendis, & suo matrimonio spirituali, & dispositio auth. res quae Cod. communia de legat. quod bona subiecta restitutioni non possunt alienari nisi ex causa dotis, habet etiam locum in dote spirituali, vt ibi communiter traditur.

Et facit, quod si pater est diues, & filius velit vacare studio literarum, potest compelli ad ministrandum ei necessaria Archidiacon. in cap. si reliquerit distinct. 30. Lucas de Penna in l. 1. C. qui etate, vel professione se excusant lib. 10. & maior utilitas publica consistit, in facris quam in studio literarum capit. ius autem distinct. 1.

Item consideratur pro corroboratione, quod filio intranti Religionem tenetur Pater aliquid assignare, pro victu suo si Monasterium est inopax, alias secus ex d. l. si quis à liberis de liber. agnoscend.

Similiter iuuatur, quia titulus patrimonij promouendi ad sacros Ordines nihil aliud continet, quam alimenta ne cum dedecore cogatur mendicare cap. Episcopus cap. secundum de praebendis, & certum est, patrem teneri praestare alimenta filio, vt in d. l. si quis à liberis.

Amplia praefatam conclusionem adeo esse veram, quod pater cogatur assignare patrimonium filio Clerico ad sacros Ordines quamuis per prius assignauerit, vbi filius patrimonium perdidit, vt per plura fundamenta doctè quidem affirmat Nouarius d. quaest. forens. 73. num. 4. cum seq. dicens num. 13. iuxta suam opinionem fuisse decisum, declarans id non procedere quando conditio patris esset facta deterior, & contingeret diminutio substantiae illius, quia in tali casu non teneretur iterum patrimonium praestare, prout neque teneri ad redotandam filiam, quae amisit dotem, nisi in quantum adest virtus eiusdem substantiae ex Menoch. conf. 370. lib. 4.

RESOLVT. LXXXIX.

- 1 Alienatio bonorum, ad quae fuit quis ordinatus est prohibita.
- 2 Dicitio nullatenus quid importet.
- 3 Alienationis sub nomine quid contineatur, & an transactio num. 4. Diuissio num. 5. permutatio num. 6. & datio insolutum num. 7.
- 4 Hypothecarum non potest, quod alienari prohibetur.
- 5 Seruitus imponi non potest super bonis, ad quorum titulum fuit quis ordinatus.

Bona

Bona patrimonialia, an sicuti prohibentur alienari, ita etiam nec valeant diuidi, mutari, dari insolutum, & hypothecari.

- 1 **N**on dubitatur, quod bona ad quorum titulum fuit quis ordinatus alienari non possunt absque licentia Episcopi, ut mandat Sacros. Concil. Trident. sess. 21. cap. 2. de reformat. Ibi atque deinceps sine licentia Episcopali alienari, aut extingui, vel remitti nullatenus possit, quae verba inducunt nullitatem actus ipso iure ob aduerbium illud nullatenus, quod tollit omnem potentiam alienandi, glof. in clem. in verbo nullatenus de sequestrat. possess. Gonzal. in regul. 8. Cancell. glof. vltim. num. 65. Ceual. commun. contra commun. post § 27. n. 10. Sanchez de matrim. lib. 6. disp. 32. num. 7. Ita ut alienatio patrimonij, aut extinctio pensionis subsequens promotionem ipso iure dicitur inualida Nauarr. c. 17. nu. 2. & 4. & conf. 21. de tempor. ordinat. Paris. de resignat. benefic. lib. 2. qu. 6. num. 1. & 35.
- 3 Cumque autem alienationis verbum sit nomen generale complectens alienationem quocumque modo factam, l. fin. C. de reb. alien. non alien. cap. nulli licet de reb. Eccles. non alien. idem non solum in effectu clericus illud vendere prohibetur, quia sub tali alienationis verbo omnis actus domini translativus continetur, l. 1. C. de fundo dotal. cum alijs cumulatis per Nouarium in opusculo noui iuris Pontific. conclus. 1. sub rubric. de alienat. rerum Eccles. num. 6. sed etiam nec valet promissio de vendendo tale patrimonium, quia ista promissio alienationis appellatione continetur Bella comb. tom. 2. commun. opin. lib. 6. tit. 34. num. 33. tom. 2. Tiraquell. de retract. tit. 2. ad fin. num. 30. Menoch. confil. 1. num. 230. Valasc. decif. 77. num. 7.
- 4 Sic etiam nec transactio super huiusmodi bonis cadere potest ex dictis per Caldas de resol. emphiteuf. cap. 9. num. 36. prout & regulariter nec valet transactio super rebus Ecclesiae nisi interuenientibus solemnitatibus extraneantis ambitione de reb. Eccles. non alienand. Verall. decif. 106. par. 1. & dec. 318. par. 3. Nouarius vbi supra num. 13. qui alios allegat.
- 5 Item super istis bonis patrimonialibus non cadit diuisio, ut per Gam. decif. Lusitan. 300. num. 4. Valasc. decif. 53. num. 4. ea ratione, quia prohibitus vendere censetur prohibitus quoque diuidere Tiraquell. de leg. connubial. glof. 5. n. 216.
- 6 Prout etiam, nec illa permutare potest Rota in re collect. per Farinac. decif. 614. in nouiss. Gonzal. in reg. 8. Cancell. glof. 5. §. 10. num. 35. Gratian. disceptat. forens. lib. 1. cap. 159. num. 3. eadem ratione, quia prohibitus alienare permutare non potest Tiraquell. de retract. ligna. §. 1. glof. 14. num. 30. Pereira de empt. cap. 8. num. 26. & 27.
- 7 Et similiter, nec illa possunt dari insolutum pari quoque ratione Mascard. de probat. conclus. 1142. n. 14. Menoch. de arbitr. iudic. c. 171. n. 51. Guttierrez pract. quaest. lib. 2. qu. 157.
- Vnde in decif. Curiae Archiepiscopali. 212. part. 2.
- 8 merito firmaui conclusionem talia bona, nec posse hypothecari, nam certum est, ut qui nequit alienare, nec possit hypothecare, seu obligare, l. fin. C. de rebus non alien. Pirell. in l. 1. C. de bon. matern. num. 19. par. 3. Barbof. in l. 1. n. 39. par. 3. ff. solut. matrimon.
- 9 Et hinc etiam aliquando consultus dixi super illis non posse imponi vllam seruitutem, prout in rebus Ecclesiae concludit Nouarius in opusculo noui iur. Pontific. d. conclus. 1. n. 6. de alienat. rer. Eccles. vbi allegat Rebuff. in compend. alienatio num. 4. & 6. in fine Barbof. in l. vlt. fructu, num. 15. cum sequ. ff. solut. matrimon.

Qui quidem Nouarius loco ante citato sub num. 6.

vers. proinde firmat conclusionem, quod prohibitus alienare, actum facere prohibetur, quo legalis saltem bonorum sequatur alienatio ex plurium DD. auctoritate, quos in vnum recollectit, ut apud eum latius videri poterit.

RESOLVT. XC.

- 1 Alienatio patrimonij an valeat, quando ordinatus habet vnde viuere, & num. 3.
- 2 Dicitio aliunde quid importet.
- 4 Lex frustra non loquitur.
- 5 Forma dat esse rei.

Bona patrimonialia an possint alienari, seu renunciari si clericus iam ordinatus habeat aliunde, ex quo viuere possit.

1 **S**unt qui affirmant alienationem, seu renunciationem patrimonij ad cuius titulum quis sacris fuit ordinatus factam absque licentia Episcopi, si tunc habeat beneficium, seu alias vnde commodè viuere possit valere, ita inquam scripserunt Paris. de resignat. benefic. quaest. 6. num. 16. lib. 2. Azor. in instit. moral. part. 2. lib. 3. cap. 4. quaest. 3. Ceual. commun. quaest. 527. num. 8. Garzia de benefic. part. 2. cap. 5. num. 186.

Nam concilium cap. 2. sect. 21. de reformat. solum statuit, quod deinceps sine licentia Episcopi patrimonium alienari non possit, donec aliunde non habeat vnde viuere, atque adeo cum aliunde non habeat non videtur prohibita talis alienatio, cum dictio illa donec sit restricta temporis habeatque naturam suspensiuam, Bertazzol. de clausul. instrument. clausul. 15. §. 4. Menoch. confil. 151. num. 40. Cassan. in consuetud. Burgund. in rubric. §. 6. num. 8. cessare enim videtur mens Concilij, igitur & quoque eius dispositio, cap. cum cessante de iure patronatus, l. adigere, §. quamuis ff. de iure patronat. nam causam legis condenda, & legislatorum mens semper est attendenda, Nouarius forens. quaest. 144. n. 11. lib. 1.

3 Contrarium tamen in puncto principalis probatur Vgolin. in tract. de potest. Episcopi cap. 26. §. 13. n. 4. Quintan. Ecclesiastic. lib. 3. num. 72. Cened. qu. canonic. 11. n. 9. affirmantes alienationem bonorum patrimonialium non valere nisi praecedente Episcopi licentia, quamuis ordinatus habeat aliunde vbi victum querere possit.

4 Cum opinio ratio est, quia si huiusmodi ordinatus dum habet victum aliunde possit absque licentia Episcopi patrimonium alienare, & victu carens, nec cum licentia illud posse distrahare nullus esset effectus, illa verba Concilij d. cap. 2. sine licentia Episcopi, imo viderentur quasi frustratoria, quod in iure non conceditur, quia lex nunquam frustra loquitur, nec habet vnam syllabam superfluum, & vacuum, Gonzal. in regul. 8. cancell. glof. 22. num. 5. vbi enim quod superfluum a iure est reprobatur, quia, leges nihil frustra faciunt, l. si ait praetor num. 16. ff. de iur. iurand.

Item facit, quia consensus Episcopi in alienatione dictorum bonorum videtur per Concilium appositus de forma, & ideo ille enitari non potest, quia forma dat esse rei, & ad vnguem est seruanda, nec aliquid ab ea detrahi potest Nouarius, qui alios adducit forens. qu. 71. num. 2. lib. 1. affirmans quaest. 78. eod. lib. formam omnino esse seruandam, & ex illius omissione actum utique reddi nullum, quare merito praxis obseruat, ut interponatur consensus loci ordinarij, prout & ita me accedente vti Vicario Generali in Curia Archiepiscopali fidelissima, & Illustrissima Ciuitatis Neapolis fuit seruatum in duobus casibus, per eandem

dem Curiam confitto, quod nonnulli clerici satis habebant aliunde victum honestum ex causis in supplicationibus porrectis fuit eis concessa licentia alienandi bona patrimonialia, ad quorum titulum fuerant ordinati.

RESOLVT. XCI.

- 1 *Prescriptio, quæ datur in bonis patrimonialibus Clericis, & vide num. 3.*
- 2 *Prescriptio decem, & viginti annorum, est communis Clericis, & Laicis.*
- 3 *Clericus in patrimonio, ad cuius titulum ordinatur gaudet priuilegijs Ecclesiæ concessis.*
- 4 *Prescriptio dicitur prohibita, vbi est prohibita alienatio.*

Bona patrimonialia Clericorum, ad quorum titulum promouentur per quoddam tempus præscribuntur.

1 **I**n bonis Clerici patrimonialibus præscribitur iure communi, nec in his gaudet Clericus præscriptione quadragenaria glossa in cap. possessiones 16. qu. 3. quam dicit singularem Abbas in cap. Sanctorum, de præscriptionibus lib. 6. Francus in cap. Episcopum, num. 6. de præscriptionibus lib. 6. Baldus alios adducens de præscriptionibus in 1. part. quintæ principalis quæst. 5. per totam, & nouissimè Gironde de priuilegijs, & exemptionum explicatione num. 240. & 374.

2 Est enim præscriptio decem, vel viginti annorum communis Clericis, & Laicis. Abb. in cap. quod Clericis column. 7. de præscriptione. Gregor. 1. 18. tit. 29. par. 3. quia Clericus in his bonis censetur, vt Laicus, & iudicantur illa bona, vt bona Laicorum, secundum ea quæ optimè Palat. in repet. cap. per veltras §. 39. num. 11. extra de donat. inter vir. & vxor. vbi allegat cap. dilectus de iure patronatus, Azueo lib. 2. tit. 2. num. 37. & comprobat Valasc. de partitionibus, c. 35. à princip. vbi inquit, quod in bonis patrimonialibus, seu in alijs industria sua, vel labore acquisitis, vel per vltimas voluntates, aut contractus, aut in castris, aut à Principe donatis reputatur Clericus, vt merè Laicus quibus addo Gutierrez lib. 1. canonic. quæst. cap. 34. num. 11. & 12. & pract. quæst. lib. 4. num. 7. cap. 37. & Perez lib. 1. ordinam. tit. 2. in leg. 8. in gloss. concidos clericos, & est gloss. singularis in leg. munerum §. patrimoniorum verbo Pontifex, ff. muner. & honor. ibi quia, vt prædia possideant à lege humana.

3 Quinimò in bonis patrimonialibus quorum titulo Clerici promouentur in ordinibus Couarr. post multos var. lib. 1. cap. 4. num. 4. tenuit nec dari priuilegiū præscriptionis Ecclesijs concessum, quod etiam firmanunt Salzed. in pract. cap. 18. num. 14. & Morla in. emporio iur. part. 1. cit. de legibus quæst. fin. num. 7. qui mouentur ex doctrina glossæ in cap. tuis de præbendis, Francus in capitol. 1. col. 1. in fine præscript. in 6. quia priuilegia non sunt trahenda in consequentiam nisi lex aliqua tribuat ex textu in lius singulare, ff. de legibus glossa in l. bene Azenone in glossa verbo cum enim C. de quadriennali præscript. Barbosa vbi optimè in leg. 1. ff. solut. matrimon. in 1. part. num. 19. Decius consil. 529. num. penult. & consil. 516. num. vlt. & conducunt quæ Guttier. canonic. quæst. dict. cap. 34. a num. 1. lib. 1. & pract. quæst. cap. 37. num. 8.

Sed licet supradicti sint in hac opinione, tamen contrarium est verius prout recenter fundat Nauarr. in sua praxi elect. & variat. fori sect. 2. q. n. in vltima impress. Neapolitana ex dictis per Nauarr. consil. 12. de censibus, vbi subditur Clericum

in patrimonio ad cuius titulum ordinatur gaudere priuilegijs Ecclesiæ concessis, vt etiam tradunt lata in l. si quis à liberis §. solent num. 36. ff. de liber. agnoscend. Episcop. Minoren. in praxi Episcop. in verbo Clericus par. 1. saltem interim, quod non extinguitur per ademptionem beneficii Ecclesiastici, Spin. in specul. testam. gloss. 18. in princip. num. 72. Azueo in l. 1. num. 9. tit. 4. nouæ recopilat. Cened. quæst. canonic. 11. num. 9.

Et facit pro corroboracione, quia dum vigore Concilij Tridentini sess. 2. 1. cap. 2. de reformat. interdicitur alienatio huiusmodi bonorum patrimonialium, ita pariter censendum est esse prohibitam præscriptionem ordinariam.

Tantò fortius, quia prohibita alienatione censetur prohibita præscriptio, gloss. Bar. & alij in l. vbi lex ff. de vscap. gloss. in l. non est incognitum, l. in quibus caus. in integ. restit. l. al. in l. fin. §. fin autem n. 5. C. commun. de legat. latè Couarr. in regul. possessor. par. 3. §. 3. n. 6. Gabriel. conclus. 13. de præscript. & Molin. de primogen. cap. 10. lib. 3. & Pinell. in auth. nisi tricennale C. de bon. matern. num. 30.

RESOLVT. XCII.

- 1 *Clericus in bonis patrimonialibus non gaudet beneficio restitutionis in integrum.*
- 2 *Ecclesiastici quando in bonis patrimonialibus gaudent priuilegijs Ecclesiæ.*

Restitutio in integrum an detur Clerico pro bonis patrimonialibus.

1 **S**unt qui tenent in bonis patrimonialibus Clericos non gaudere priuilegijs Ecclesiæ, nisi tantum in casibus à iure expressis, vt apud Dec. in cap. Episcopus num. 10. de præbend. Panorm. & Felin. in cap. Ecclesiæ S. Mariæ de constitut. cum alijs, quos refert, & sequitur Valquius in tract. de success. creat. lib. 3. §. 22. num. 42. limit. 12.

Vnde Ecclesiasticos in bonis patrimonialibus non restitui in integrum, docet gloss. in clem. 1. in verbo Ecclesiæ, vbi etiam Card. num. 14. de restitut. in integ. Felin. in d. cap. Ecclesiæ Sanctæ Mariæ de constitut. num. 9. Panormit. in cap. 1. num. 4. de consuet. vbi supradictam glossam mirabilem appellat. Specul. in tit. de in integ. restitut. §. qualiter num. 7.

De quorum opinione datur ratio per Modernum in suo tract. de iurisdic. par. 4. cas. 49. à num. 9. cum seq. quia in hoc casu principaliter considerantur bona Clericorum, & accessorie eorum persona, quo in casu bona non sunt priuilegiata, at secus vbi principaliter consideraretur persona Clericorum, & bona accessorie venirent ad personam, quia tunc Ecclesiastici in bonis patrimonialibus gauderent omnibus priuilegijs, quibus gaudent Ecclesiæ, vt in cap. fin. & ibi gloss. fin. de vit. & honest. cleric. & ideo cum collectæ imponantur principaliter personæ, propterea, Ecclesiastici ab earum solutione sunt exempti, nec ad illas soluendas cogi possunt absque censurarum labe.

RESOLVT. XCIII.

- 1 *Clericus habet beneficium electionis fori, etiam in bonis patrimonialibus num. 2.*
- 3 *Bona patrimonialia dicuntur quadam spirituales mercedes.*
- 4 *Ecclesiæ competit beneficium eligendi forum.*

(643)

An

An pro bonis patrimonialibus, ad quorum titulum fuit quis ordinatus detur electio fori iuxta mentem leg. vnic. C. quando Imper. inter pupill. & vid.

Omnēs DD. passim affirmarunt Clerico competere beneficium electionis fori, de quo in l. vnic. C. quando Imperat. inter pupill. & vid. pro bonis Ecclesiasticis litiganti, perhorrescentiamque aduersarij alleganti, vt tradiderunt in cap. cum sit generale de foro competen. & scribit Felyn. in cap. cum Ecclesia S. Mariæ de constitut. col. 4. & in Regno est prouisum per specialem ritum M. C. V. 233.

Sed an id procedat vbi esset lis super bonis patrimonialibus, ad quorum titulum quis ordinatus fuit aliquando dubitatum, & consultus ego affirmatiuam sequutus sum sententiam, prout in proprijs terminis probauit Nouarius forens. quæst. 72. lib. 1. vbi firmavit in specie electionem fori esse concedendam Clerico litiganti pro eius bonis patrimonialibus, ad quorum titulum fuit ordinatus dans nouum intellectum ad dicta Rit. M. C. V. 228. allegat pro sua opinione, Petr. Duard. in explicat. Bullæ Cæne lib. 2. caus. 18. quæst. 5. num. 9. & iterum eandem sententiam sustinet in suo nouissimo tractat. de elect. & variat. fori quæst. sect. 2. in vltima impressione Neapolitana, vbi etiam ad id allegat Vrsil. ad addit. ad Afflict. dec. 257. num. 1.

Quæ opinio fallitur ex illa vulgata conclusione, quod bona patrimonialia gaudent privilegijs bonorum Ecclesiæ, Bald. de pace constant. in verbo Imperialis clementiæ vers. ex his apparet num. 17. Dec. in d. cap. Ecclesia Sanctæ Mariæ col. 9. num. 18. de constitut. Menoch. de recuper. possess. remed. 15. num. 21. quia talia bona dicuntur quædam præmia, & spirituales mercedes pro seruitijs Ecclesiæ exhibendis, gloss. in cap. Episcopus de præbend. Nauarr. conf. 12. de censibus, certum est Ecclesiæ competere priuilegium istud eligendi forum, Rebuff. in constitut. Galliæ rit. de sentent. prouisional. gloss. fin. num. 5. Andr. de Ifern. in constitut. Regni statuimus num. 3. de offic. Magistr. Iustitiar. Capic. decif. 160. prout & conceditur Clerico agenti pro rebus Ecclesiæ, vt supra firmauimus.

RESOLVT. XCIV.

- 1 Collectari non possunt bona patrimonialia Clericorum.
- 2 Grauantur bona patrimonialia incidunt in excommunicationem Bullæ Cæne.
- 3 Ecclesiastica personæ sunt immunes à collectis.

Bona patrimonialia Clericorum an sint exempta à solutione gabellarum, & collectarum, itaut illas imponentes, vel exigentes incidant in Canonem Bullæ Cæne.

In decif. Cur. Archiep. 299. par. 2. satis fuit probatum bona patrimonialia Clericorum esse exempta à solutione collectarum, & gabellarum, quod etiam firmiter probant Graf. qui alios adducit concordantes in tract. de effectibus clericat. effect. 3. num. 129. & Macerat. var. resolut. lib. 1. cas. 88. Nouarius forens. quæst. 72. num. 5. lib. 1. vbi testatur sic expediri prouisiones per Regiam cam. Sum. in isto Regno.

Hodie autem restat ampliare eandem conclusionem, adeo esse veram, vt imponentes, & exigentes gabellas, & collectas, & alia similia onera pro bonis patrimonialibus ecclesiasticorum incidant in excommunicationem Bullæ Cæne Domini in canon. 18. ex communi Doct. sententia, quam sequitur Couar. sub pract. quæst. cap. 31. sub num. 9. Azor. institut. moral. lib. 5. part. 1. cap. 12. quæst. 2. Vgolin. in explicat. eius-

dem Bullæ can. 18. §. 3. Tolet. in explicat. eiusdem canonis lib. 1. instruct. Sacerdot. cap. 26. in princip. Sayr. in thesaur. cas. conscient. cap. 22. num. 9. lib. 3. affirmantes ecclesiasticas personas esse immunes à collectis, & alijs similibus oneribus non solum quoad ecclesiasticum, sed etiam quoad patrimonialia eorum bona, atque idem imponentes, & exigentes tales impositiones pro bonis patrimonialibus Clericorum incidunt in excommunicationem dicti canonis, vt per Alter. in explicat. dict. Bullæ can. 18. cap. 2. colum. 2. in fin. & colum. 7. Duard. in eod. loco lib. 2. quæst. 5. quos refert, & sequitur Nouarius lib. 1. forens. quæst. cap. 27. sub num. 5.

P R A X I S M I S S A R V M Iuxta decreta S. D. N. P. Urbani VIII.

R E S O L V T. XCV.

- 1 Suffragium Missæ vbiunque potest celebrari, sed non extra locum à testatore designatum, num. 2.
- 3 Voluntas testatoris loco præcepti est.
- 4 Voluntas defuncti non est mutanda, nisi ex vrgenti causa.

Missarum suffragia an celebrari possint extra locum à defuncto destinatum.

Pro ratione dubitandi videtur id fieri poss. quia diuinum, & sacrosanctum illud Missæ suffragium vbiunque potest celebrari, & vbiue celebratum animabus suffragari, & in æternam pacem, & salutem proficere iuxta illud D. Bernardi libro meditationum relatum in glossa magna post medium in clem. 1. de Reliq. & venerat. sanctorum ibi, vbiunque fueris extra te metipsum ora; si longè fueris ab Oratorio, non queras locum, & ex Diuo Gregor. in moral. animarum verba sunt ipsa desideria, in quibus tanto quis minus clamat, quanto minus desiderat.

Sed hoc non obstante contrariam sententiam amplectendam esse censeo; communis est sententia, & ab omnibus recepta, vt missarum suffragia celebrari non possint extra locum à defuncto electum, & destinatum, vt ex Nauarr. Syluest. & alijs, communem dicit Azor. lib. 10. institut. moral. cap. 24. versic. 8. & sic extat communis praxis, alias enim peccaret mortaliter alibi celebrando Rodriq. in summa cap. 5. num. 6. Homobon. de exam. Eccles. part. 1. cap. 13. quæst. 123. Graffius conf. vnic. n. 15. de patron.

Et eleganter ampliando Nauarrus in manuali cap. 25. num. 134. inquit missarum suffragia non posse extra locum à defuncto destinatum fieri ex eo, quia voluntas testatoris loco præcepti est, ex textu in l. cum proponebatur ff. de legat. 2. Surd. decif. 232. num. 5. & debet seruari quantum potest, l. non aliter, ff. legat. 3. Mantica de coniecturis vlt. volunt. lib. 3. tit. 3. num. 6. Decian. respons. 19. num. 2. vol. 1. etiam contra causam piam, & fauorabilem Mantica lib. 3. tit. 9. num. 11. Imò iacturam dicitur facere testamentis vel in minimo voluntas eius non seruetur, vt inquit eleganter, Bald. in cap. cum accessissent de constitut. quia vltima voluntas non pertinet ad arbitrium alterius, nisi ipsius testantis idem Bald. in l. 1. finalibus verbis C. quæ poenæ nomine, & dicit singularis textus in l. in his, ff. condit. & demonstr. sequentia verba.

In his, quæ extra testamentum incurrunt, possunt res ex bono, & æquo interpretationem capere: ea verò, quæ ex ipso testamento oriuntur, necesse est secundum scripti iuris rationem expediri, & illum interpretatur Sarmiento selet. lib. 1. cap. 8. num. 2. de scriptura ipsius testamentis, quæ legis loco habetur auth. de nuptijs S. disponat